

signum † Gundacro

Sigodone<sup>a</sup>

(C.) Ego Audacerus iussus et ordinatus a domno meo Folrado scripsi et (SS. NT: *A-u-da-cr-cus*).

#### D.

#### Fälschung.

*Abt Fulrad von St.-Denis schenkt an das Kloster Leberau genannten Besitz und verfügt dessen unverbrüchliche Zugehörigkeit zu St.-Denis.*  
Herstal, 777.

Angebliches Original aus dem Ende des 9. oder dem Anfang des 10. Jh. Paris Arch. nat. K. 7 n. 1<sup>2</sup>.

Kroeber, Bibl. de l'école des chartes IV. Série III, 50.

Das aus C Uebernommene ist durch Petitdruck gekennzeichnet.

(C.) Terminum vitae pertimesco, quando de hoc saeculo sum migraturus, ut aliquid de peccatis meis per confessionem et largitionem mearum pecuniarum divina propitiatio atque miseratio suo sancto examini presentato relaxare immensa benignitate ac misericordia non dedignetur, si videlicet census meae temporali utilitati domini dispositione creditus mea propria largitione, dum adhuc deo adiutore vita manet ac incolomitas perseverat, ecclesiis dei sanctorumque<sup>b</sup> ipsius locis sacrosanctis ac venerabilibus, viduis quoque ac peregrinis pauperibusque undecumque ad ecclesiam dei confluentibus proficiat condonatus, ut dominus per suam misericordiam et sanctorum intercessionem orationesque pauperum ac servorum Christi in celesti vita sortem ac societatem merear sanctorum. Unde ego Foleradus in dei nomine sacerdos indignus, \* Riculfi et Ermengardis filius, \* dono atque in perpetuum donatum cupio quandam iuris mei villam Ansulsishaim cum omnibus superpositis et ad se pertinentibus tam in aedificiis quam in terris cultis et incultis aquis pascuis exitibus et redditibus universis et omni supellectile sua cum servis et mancipiis utriusque sexus ad nomen sancti et gloriosi Christi martyris Alexandri ad locum ipsius quod nominatur Lepraha, situm in pago Alsacinse infra forestem quę nuncupatur Uosago, ut ex denominata scilicet<sup>c</sup> villa Ansulsishaim in eodem pago sita super fluvium Mortonouia, quamque constat ex donatione dulcissimę sororis meae Uualdradanę mihi contigisse, habeant previsoires denominati loci previsoires atque rectores sufficientes sibi sumtus ad ea quę pertinere videntur circa luminaria ipsius sancti Alexandri basilicę et ad diversos cultus<sup>d</sup> et ornatus ipsius

a) So C statt 'signum Godone'.

b) 'que' nachgetragen.

c) So D.

d) Aus 'cultos' korr.